



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 57 Vtrum applicatio libera diuinæ volitionis, ac scientiæ huic potius, quam alteri obiecto contingenti sit temporalis, vel æterna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

sint nihil: terminatio enim, qua Deus est liberè applicatus ad volendum mundum, de facto est Deus, hoc est ens necessarium, & tamen potuit non existere, & sic esse nihil; ergo. Proportionaliter applicatio, qua Deus potuisset suam volitionem applicare ad volendum, efficaciter alium mundum, de facto non existit, & sic est imperfectior, quam formica, & tamen potuisset existere, & esse Deus æquè perfectè, ac Pater æternus.

10. Quintò Deus non potest identificari cum aliquo importante imperfectionem; sed posse non esse est imperfectio; ergo Deus non potest identificari cum terminationibus liberis, quæ potuerunt non esse; ergo &c.

11. Sextò quod ex se est indifferens ad hoc, ut cum aliquo identificetur, vel non identificetur, est mutabile: siquidem potuit non esse id, quod est, & potuit esse id, quod non est; sed Deus ex se esset indifferens ad hoc, ut identificaretur, vel non identificaretur cum terminationibus liberis; ergo esset mutabilis.

12. Opponunt: Personalitates diuinæ ita realiter identificantur cum diuina essentia, ut virtualiter distinguantur ab illa, distinctione sufficienti ad verificanda prædicata contradictoria; ergo etiam terminationes liberæ possunt ita realiter identificari cum Deo, ut ab eo virtualiter distinguantur distinctione sufficienti ad prædicata contradictoria.

13. Respondeo, concedo antecedens, & distinguo consequens; ergo terminationes possunt ita realiter identificari cum Deo, ut ab eo virtualiter distinguantur, distinctione sufficiente ad verificanda contradictoria, quantum est ex hoc præcisè capite, transeat: quantum est ex alijs capitibus, nego. Identitas realis terminationum liberarum cum diuina essentia, reiecta est, non ex hoc præcisè capite, quod de terminatione, & essentia verificarentur contradictoria, sed ex sex alijs capitibus allatis in fundamentis nostræ conclusionis; sed nullum ex his argumentis valet contra identitatem, realem personalitatum diuinarum cum diuina essentia; ergo &c.

14. Dicendum secundò: terminationes, & applicationes liberæ non solum non identificantur cum Deo, & cum diuina essentia, sed neque sunt intrinsecæ Deo, & diuinæ essentia.

15. Probatur: nam nihil ab æterno est intrinsecum Deo, quod non sit realiter ipse Deus, ut videtur colligi ex Concilio Rhemenfi: sed terminationes, & applicationes liberæ non sunt ipse Deus, ut probatur est; ergo. Confirmatur: nam Ioannes cap. 1. cum dixisset: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, statim intulit, & Deus erat Verbum*: ergo ex eo, quod Verbum esset ab æterno intrinsecum Deo, intulit Verbum esse Deum; ergo si terminationes essent ab æterno intrinsecæ Deo, identificarentur cum Deo. Confirmatur rursus: nam Patres ex eo, quod Verbum

ab æterno sit intrinsecum Deo, inferunt illud esse Deum; ergo.

16. Ad 1. distinguo maiorem: cognitio, & volitio finita, & contingens non possunt applicari obiecto, nisi per se ipsas, vel per aliquid ipsis intrinsecum, concedo; cognitio, & volitio infinita, & necessaria, nego: concedo minorem; & nego consequentiam. Cognitio, & volitio finita, & contingens propter suam limitationem per se ipsam est applicata, affixa, & alligata suo obiecto contingentem, ideoque non potest obiecto applicari applicatione distincta, & extrinseca, ut constat etiam inductione. At cognitio, & volitio infinita, & necessaria in existendo, non potest per se ipsam esse applicata, & alligata obiecto contingentem; nam necessarium non potest per se ipsum esse affixum, & alligatum existentia obiecti contingentis; cognitio autem, & volitio infinita intrinsecè in omni genere non est capax alicuius intrinsecè superadditi, quo applicetur huic potius obiecto, quam alteri; ergo debet huic potius obiecto contingentem applicari per aliquid distinctum, & extrinsecum.

17. Ad 2. concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem, distinguo maiorem: hoc ipsum, quod est *Deum velle efficaciter Mundum existere*, est prædicatum adæquatè vitale, inquantum significat formam volendi, concedo; inquantum significat applicationem formæ, nego; concedo minorem; & nego consequentiam. Deum velle efficaciter mundum existere significat ut formam, ipsam volitionem diuinam infinitam, & applicabilem huic, vel illi obiecto contingentem; & hæc forma est adæquatè vitalis, & præterea significat applicationem liberam, quæ volitio applicatur huic, vel illi obiecto, & hæc applicatio cum supponat in ipsa volitione vitalitatem, & perfectionem infinitam in omni genere, nullam addit vitalitatem, & perfectionem, ideoque potest à Deo distingui, & esse illi extrinseca, ut explicatum est.

18. Ad 3. distinguo maiorem. Implicat, ut Deus constituatur liberè volens mundum per aliquid Deo extrinsecum, tanquam per formam vitalem volendi, concedo; tanquam per puram applicationem formæ, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Forma, qua Deus constituitur volens mundum, debet esse perfectio vitalis, & Deo intrinseca: at applicatio talis formæ potest esse purè extrinseca, ut explicatum est num. 18.

QVÆSTIO LVII.

Vtrum applicatio libera diuinæ volitionis, ac scientiæ huic potius, quam alteri obiecto contingentem, sit temporalis, vel æterna?

1. Videtur esse temporalis, primo, quia ex dictis quæstione præcedenti, talis applicatio

plicatio distinguitur à Deo, & est ipsi extrinseca; sed nihil distinctum à Deo, & ipsi extrinsecum est æternum; ergo.

2. Secundò eatenus talis applicatio deberet esse aliquid æternum, quatenus cum Deus ab æterno denominetur volens creare mundum, & videns mundum suo tempore creandum, omnia constitutiva huius denominationis deberent esse æterna; sed non est necesse, ut omnia constitutiva denominationis æternæ sint æterna, sicut non est necesse, ut omnia constitutiva denominationis presentis sint presentia; ergo &c. Probatur minor; nam domus nunc denominatur antiqua per denominationem à duratione præterita, quæ nunc non est, sed fuit: mundus ab æterno denominabatur futurus per denominationem à duratione, quæ ab æterno non erat, sed futura erat suo tempore; ergo Deus ab æterno potuit denominari volens efficaciter mundum per denominationem ab applicatione extrinseca, quæ non erat ab æterno, sed futura erat suo tempore.

3. Respondeo, quod quia ex dictis applicatio libera diuinæ volitionis, & cognitionis ad hoc potius obiectum, quam ad aliud, non identificatur cum Deo, nec est illi intrinseca, sed extrinseca, sequitur, ut examinemus, utrum talis applicatio sit aliquid æternum, vel temporale, & quid sit? Vasquez 1. parte, questione 80. cap. 2. & alij apud ipsum, & recentiores communiter docent diuinam volitionem, & cognitionem applicari, ac determinari ad hoc potius obiectum contingens, quam ad aliud, per aliquid creatum, ac proinde temporale. Non conueniunt tamen in explicando, per quid applicentur, & determinentur. Primò Vasquez docuit, quod applicentur per ipsum obiectum extrinsecum: e. g. volitio æterna, & necessaria Dei applicatur ad volendum efficaciter hunc mundum per ipsam existentiam huius mundi; ad volendum efficaciter Angelum Michaellem per ipsam existentiam. Angeli Michaelis proportionaliter applicatur ad volendum efficaciter alium mundum per ipsam negationem existentie alterius mundi. Quia verò Deus ab æterno voluit, ut neque mundus, neque vlla alia res existeret ab æterno, voluit autem, ut existerent in tempore, ideo dicunt volitionem necessariam Dei per negationem æternam mundi, & aliarum rerum existentium, applicatam fuisse ad volendum, ut neque mundus, neque alia res existeret ab æterno; per existentiam temporalem mundi applicatam fuisse, & determinatam ad volendum, ut mundus, & alia res existerent in tempore.

4. Secundò, quia contra hunc modum dicendi opponitur, quod mundus est indifferens ad hoc, ut producat, & intendatur à Deo propter hunc, vel illum finem, puta propter finem naturalem, vel supernaturalem; ergo volitio diuina per ipsam existentiam mundi non sufficienter applicatur, & determinatur

ad volendum producere mundum propter hunc potius finem, quam propter alium; ideo secundus modus dicendi est Arrubalis, & plurium aliorum recentiorum, qui magis explicantes sententiam relictam Vasquez docuerunt volitionem Dei applicari, ac determinari ad volendum res producere propter hunc determinatum finem, non per ipsas res nudè sumptas, sed per res simul, & actiones, quibus illas creat, & producit. Deus igitur applicatur, ac determinatur ad volendum producere mundum propter hunc finem, per hoc, quod illum producat, & creet per hanc actionem; applicatus autem, ac determinatus fuisset ad producendum mundum propter alium finem, per hoc, quod illum creasset, & produxisset per aliam actionem.

5. Tertiò etiam contra hunc modum dicendi opponitur; Deus liberè promittit, condonat poenas, leges fert, amat ineffaciter plura &c; sed istæ denominationes non sufficienter explicantur per actiones productiuas; ergo &c. Tertius igitur modus dicendi est aliquorum recentiorum, qui docuerunt vniuersaliter applicationem ad obiecta creata denominanda quocunque genere denominationis libera, esse aliquam entitatem temporalem, de cuius ratione formali sit hoc ipsum munus præstare, nimirum esse exercitium liberum diuinæ volitionis se actu applicantis obiecto determinato creato. Sicut igitur creata voluntas obiecta diuersa, & etiam idem obiectum pluribus modis denominat, producendo in se varios, & multiplices modos se applicanti tum multis obiectis, tum eidem obiecto; sic diuina voluntas producendo ad extra varios modos se applicanti varijs obiectis, immò & eidem obiecto, multa obiecta, & idem obiectum multipliciter denominat, cum hoc solum discrimine, quod modi intra se producti à voluntate creata sunt actus vitales, modi autem extra se producti à voluntate diuina non sunt actus vitales, sed merè applicationes variae, & multiplices diuini actus vitalis infiniti, hoc est volitionis necessarie potentis ex se omnia obiecta, & omnibus modis denominare, dummodo denominationes non inuoluant imperfectionem Deo indignam.

6. Contra hanc sententiam, & contra omnes modos, quibus explicatur, dicendum: Diuina volitio, & cognitio non possunt applicari ad denominanda obiecta contingentia ab æterno efficaciter volita, & scita per applicationem temporalem, sed debent applicari per applicationem æternam.

7. Probatur primo; nam est de fide, quod Deus non ab æterno, sed in tempore creauit mundum, & facit omnia, quæ in mundo sunt, at ab æterno decreuit, & voluit efficaciter creare mundum, & facere, aut permittere omnia, quæ in tempore sunt euentura, & sic ab æterno vidit, & sciuit omnia, quæ fecit, & est facturus in tempore, ideoque Prouerb. 8. Sapientia dicit: Cum eo eram cuncta componens; Ad Ephes.

Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, ut essemus Sancti*: Ad Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit* &c. sed si Deus per aliquid temporale applicaret suam volitionem, & scientiam ad volendum efficaciter creare mundum, & facere quæ facit, & ad videndum, & sciendum quæ facit, sequeretur, quod sicut Deus non ab æterno, sed solum in tempore creauit mundum, & facit ea, quæ facit, sic non ab æterno, sed in tempore voluisset efficaciter creare mundum, & facere ea, quæ facit, ac non ab æterno sciuisset quæ facturus, aut permisurus erat in tempore; ergo &c. Probatur minor: nam quia Deus applicat suam omnipotentiam æternam ad creandum mundum, & ad operandum ad extra per aliquid non æternum, sed temporale, non ab æterno, sed in tempore creauit mundum, & operatus est ad extra; ergo si Deus applicaret suam volitionem ad volendum efficaciter mundum per applicationem temporalem, non ab æterno, sed in tempore voluisset creare mundum; idemque proportionaliter dic de scientia.

8. Respondent aliquas denominationes requirere, vt omnia earum constitutiva existant pro tempore, pro quo conuenit denominatio, alias hoc non requirere; e. g. aqua denominatur benedicta nunc, licet benedictio, à qua denominatur, non sit, sed fuerit. Hoc posito, dicunt denominationem producentis, creatis, operantis ad extra requirere, vt omnia earum constitutiva existant, cum rei conueniunt tales denominationes; sed ab æterno non existunt creatio, productio, & operatio ad extra, per quæ constituuntur denominationes Dei creatis, producentis, & operantis ad extra; ergo Deus ab æterno non fuit creans, producens, & operans ad extra. At denominationes volentis, scientis &c. non requirunt, vt omnia earum constitutiva existant, cum rei conueniant tales denominationes; ergo licet non fuerit ab æterno applicatio diuinæ volitionis, & scientiæ ad hoc determinatum obiectum, nihilominus Deus ab æterno fuit volens, ac sciens mundum.

9. Sed contra: nam ideo dicimus, quod denominationes producentis, operantis &c. requirunt, vt omnia earum constitutiva existant, quando rei conuenit denominatio, quia videmus in creaturis, quod nulla res dicitur producere, vel operari, quando non existunt constitutiva talium denominationum, puta quando non existit productio, vel operatio; sed videmus, quod in creatis nulla res dicitur videre, audire, cognoscere, scire, aut velle aliquod obiectum, cum non existant omnia constitutiva talium denominationum, puta cum non existit applicatio cognitionis ad obiectum determinatum; ergo etiam denominationes scientis, & volentis aliquod obiectum, requirunt, vt omnia earum constitutiva sint præsentia, quando conueniunt rei tales denominationes. Confirmatur, nam sola inductione ex creaturis possumus discernere, quænam

denominationes requirant, vel non requirant omnia constitutiva præsentia; sed talis inductio ostendit, quod non minus denominationes volentis, & scientis, quam denominationes producentis, & operantis requirunt omnia constitutiva præsentia; ergo &c.

10. Probatur secundo conclusio: nam, etiamsi Deus noluisset creare mundum, & operari ad extra, nihilominus per scientiam mediam cognouisset, quid liberum arbitrium creatum esse facturum in his, vel illis circumstantiis, & potuisset per decreta conditionata libera velle facere hoc, vel illud sub hac, vel illa conditione; sed tunc diuina cognitio, & volitio necessaria applicaretur ad cognoscendum hoc potius contingens conditionatum, quam oppositum, & ad volendum sub conditione hoc potius, quam illud obiectum, & non applicaretur per applicationem creatam, & temporalem; ergo.

11. Respondent, quod scientia Dei applicatur ad cognoscendum, quid liberum arbitrium esset facturum sub hac, vel illa hypothesi per hoc ipsū, quod liberū arbitrium esset illud facturum; & volitio Dei applicatur ad volendum conditionatè hoc, vel illud, per hoc, quod posita hypothesi, Deus esset facturus hoc, vel illud.

12. Sed contra, quia non potest Deo defacto conuenire denominatio scientis, & volentis ab æterno, si applicatio ad obiectum, volitum constitutiva talis denominationis non solum non sit ab æterno, sed neque sit futura absolutè in tempore, sed solum futura conditionatè; sed si Deus decreuisset nihil producere ad extra, id, quod liberum arbitrium creatum, & diuinum esset facturum sub hac, vel illa conditione, non solum non, existeret ab æterno, sed neque esset futurum, absolutè vlllo tempore, ac solum esset futurum conditionatè; ergo &c.

13. Confirmatur; nam sicut Deus non potest constitui actu creans per applicationem ad creandum, quæ nunquam sit futura absolutè, sed solum sit futura conditionatè, sic non potest constitui actu sciens, & volens aliquod obiectum per applicationem ad sciendum, & volendum tale obiectum, quæ applicatio nunquam sit futura absolutè, sed solum conditionatè. Sicut autem vt Deus denominetur absolutè creans, vel producens aliquid, applicatio ad creandum debet esse non solum logicè, sed physicè, sic vt Deus denominetur absolutè sciens, vel volens aliquod obiectum scientia, vel volitione conditionata, applicatio ad illud volendum, & sciendum non solum debet esse logicè, sed physicè. Vtrumque enim æquè probatur inductione desumpta ex creaturis.

14. Ad 1. concedo maiorem, & distinguo minorem; nihil distinctum à Deo, & illi extrinsecum est æternum, si sit ens reale posituum, concedo; si sit ens rationis, vel puræ veritatis obiectiua, aut ens negatiuum, nego; & nego consequentiam. Nul lum ens reale posituum distinctum à Deo est æternum; at en-

tia rationes, puræ veritates obiectivæ, & negationes possunt esse æternæ, ideoque ipsi aduersarij fatentur decretum negatiuum, quo Deus non vult producere mundum, ab æterno compleri, & applicati per æternam negationem mundi; ergo applicatio libera diuinæ volitionis, ac scientiæ ad volendum hoc potius obiectum, quam illud, potest consistere in aliqua veritate obiectiua æterna, vel in aliqua negatione æterna, vt explicabimus questione sequenti.

15. Ad 2. concedo maiorem, & distingo minorem; non est necesse, vt omnia constitutiva vniuscuiusque denominationis præsentis sint præsentia, concedo: vt omnia constitutiva denominationum cognoscentis, & volentis sint præsentia, ac proinde sint æterna, si tales denominationes debeant esse æternæ, nego: & nego consequentiam. Iam dictum est num. 8. & 9. quod licet constitutiva aliquarum denominationum possint non esse præsentia, quando rei conueniunt tales denominationes, tamen constitutiva denominationum cognoscentis, & volentis hoc potius obiectum, quam illud, debent esse præsentia, quando rei conueniunt tales denominationes.

16. Dices: applicatio diuinæ volitionis ad volendum efficaciter mundum non est constitutum intrinsecum huius denominationis, per quam Deus denominatur volens mundum, sed est solum connotatum quoddam extrinsecum; sed licet Deo non possit conuenire denominatio volentis mundum, quando non sunt præsentia omnia constitutiva intrinseca talis denominationis, tamen potest illi conuenire denominatio volentis mundum etiam quando non est præsens aliquod connotatum extrinsecum; ergo Deus potuit ab æterno denominari volens creare mundum, etiam si applicatio diuinæ volitionis ad mundum creandum non fuerit ab æterno, sed solum suo tempore.

17. Sed contra, nam repugnat, vt dentur omnia constitutiva intrinseca, & essentialia, alicuius denominationis, aut rei, & non detur talis res, & denominatio: e. g. repugnat, vt dentur omnia constitutiva intrinseca, & essentialia hominis, & non detur homo; vt dentur omnia constitutiva intrinseca, & essentialia hominis vt albi, & non detur homo albus, ac homo non denominetur albus. Et ratio est, quia non potest dari tota essentia rei, aut denominationis, & non dari res, aut denominatio: sed essentia rei nihil aliud dicit, quam omnia eius constitutiva essentialia; ergo repugnat, vt dentur omnia constitutiva intrinseca, & essentialia rei, aut denominationis, & non detur talis res, & denominatio; sed Deus de facto non denominatur volens alterum mundum; ergo non dantur omnia constitutiva essentialia, & intrinseca huius denominationis; sed nullum aliud constitutum deficit, nisi applicatio libera volitionis diuinæ ad volendum alterum mundum; ergo talis applicatio est

constitutuum intrinsecum, & essentialiale Deo, vt volenti alterum mundum, ac non est connotatum purè extrinsecum, ac proinde applicatio diuinæ volitionis, & cognitionis ad volendum efficaciter, & videndum determinatè obiectum, est constitutum intrinsecum Dei vt volentis, & cognoscentis hoc determinatè obiectum, ac debet esse ab æterno, vt Deus ab æterno denominetur volens efficaciter hoc determinatè obiectum, vt explicatum est.

QVÆSTIO LVIII.

Virum applicatio libera diuinæ volitionis, ac scientiæ huic potius, quam alteri obiecto contingenti sit aliquod ens rationis, vel aliqua veritas obiectiua æterna?

1. **V**idetur, quod non, primò quia sola prima veritas est æterna; ergo nulla veritas obiectiua distincta à prima veritate est æterna; ergo applicatio libera diuinæ cognitionis, ac scientiæ ad hoc potius obiectum, quam illud, non potest esse veritas obiectiua distincta à Deo, hoc est à prima veritate.

2. Secundo Deus ita est sibi sufficiens, vt possit esse sine quolibet distincto à se: sed non potest esse sine suis actibus liberis, & sine scientia visionis, & media; ergo scientia visionis, & media non necessario includunt aliquam veritatè obiectiuam æternam distinctam à Deo.

3. Tertiò istæ veritates obiectivæ essent intrinsecè veræ, vt conceditur, essent etiam intrinsecè bonæ, tum quia essent vltimum completium actus diuini optimi, & honestissimi, tum quia prædestinatis bona, & appetibilia est determinatio diuinæ volitionis ad illos efficaciter prædestinandos: sed omne verum, & bonum est etiam ens reale; ergo tales veritates obiectivæ essent ens reale: ac proinde darentur ab æterno aliqua entia realia distincta à Deo, quod est absurdum, & hæreticum. Confirmatur: nam esse semper, & vbique, & non posse deficere, si semel sit positum, est magna perfectio; sed tales veritates essent semper, & vbique, ac non possent deficere semel posita; ergo essent magnæ perfectiones, ac proinde magnæ entitates.

4. Quarto, vel tales veritates sunt puræ perfectio, & sic sunt Deus; vel sunt puræ imperfectio, & sic sunt nihil; vel sunt perfectiones mixtæ cum imperfectionibus, & sic sunt creaturæ; vel neque sunt perfectio, neque imperfectio, & sic sunt omnino superflue; nam nihil est magis superfluum, quam quod nullam includit bonitatem, ac proinde Deus non posset esse sine aliquo omnino superfluo, & necessarium esset aliquid superfluum, vt potè nullam bonitatem habens.

5. Quintò contingentia est imperfectio; sed tales veritates obiectivæ possent esse, vel non